

1601

Clemens
Pontifex a
Mocenico
petitus Ve-
nerius a le-
gatione re-
vocatur.

De Venerio
legato revo-
cando disce-
pationes.

lia animo agitare existimatuos mortales vereretur. Mocenico igitur inquit: *Cum ad publicam pacem atque Italiae quietem conservandam se nihil praetermissurum Senatus pro certo habere possit, non opus ea legatione fuisse: antequam Venerius Romam accedat, exercitum ab Insubria dimissum iri.* Multa praeterea addit, quae Mocenicus statim Senatui significavit. Quarta majoris hebdomadae die a prandio acceptis literis (qua die praefconsultores divinis rebus intenti, cogi non solent) coram Principe, paucisque aliquot e Sapientum numero recitatis, extemplo Venerio, qui jam se itineri commiserat, scribunt, ni e finibus Reipublicae exierit, subsistat, Senatusque iussa expectet: Fossae Clodiae tunc erat. Profesto Paschatis ad Senatum refertur; hinc atque inde disceptatur. Nonnulli: *Frustra Venerium Romam mitti: nihil eam legatione Pontifici gratam esse, jam palam brevi dimissum copias iri enuntiasset: quid inde decoris, quid dignitatis Reipublicae accedere? in Senatu Italicae libertatis publicaeque pacis studium vigere quem lateat?* Contra alii: *Legatum in itinere esse: non quae dicantur, sed quae fiant, inspicere oportere: ad hoc in Insubribus copias detineri, a belli apparatusibus non cessari, Neapoli classem augeri, novos delectus haberi: magnos Principes saepius consilia verbis tegendo, ex improvviso incautos oppressisse: avorum memoria nimium Ludovici XII. Galliarum Regis fidentem Rempublicam pollicitis, ingentem jacturam fecisse, memoria tenerent: cur legationem mature decretam, in ea ambiguitate animorumque suspensione abrogarent? cur Clemens, cujus Italiae quies tantopere interesset, prudentiae opinione Senatorem admodum praestantem, ad se summa honoris significatione accedentem, contemneret? immo potius, ut christiani gregis Pastor, in quo christiana respublica tota consisteret, eximie obsequium ejusmodi amplectatur.* Verbo tantum itaque permoti, e sinu amplissimi istius Senatus emissam legationem antiquabimus? quo consilio, quo exemplo? *tamquam inani consulto Venerium oratorem designaverimus, vel ad eam mittendam nulla nobis occasio extiterit; quorum alterum a matura vestra consultatione alienum, alterum nuntiis, qui quotidie perferuntur, adversum est. In iis, quae ad imperium spectant, si quid paulo erratum sit, corrigi*